



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Quæst. I. An res immobiles possint cadere in Depositum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

QUÆSTIO I.

An res immobiles possint deponi.

Non posse, tenent Hostiensis in *Summa h. t. n. 3.* Sylv. v. *depositum n. 1.* Richardus *Cod. ad rubr. h. t. n. 4.* Barbosa *da rubr. h. t. n. 6.* Treutl. Struv. Wissenbach. &c. Rationem dant I. Quia in toto Jure nullum reperitur depositum rei immobilis, imò nec mentio illius. II. Quia res immobiles non possunt poni de loco in locum, à qua positione Depositum denominatur, dictum enim est *ex eo*, quod ponitur. *l. 1. pr. ff. depositi.* Accedit III. Quòd Depositum dicatur esse, quod custodiendum alicui datum est. *l. 1. cit.* Sed res immobilis custodiri non potest, utpote custodiæ incapax, cum fugere, auferri, vel subtrahi nequeat.

Oppositum tamen sustinent plerique alii DD. cum Jo. Harpprecht *ad tit. quib. mod. re contrah. obl. §. 3. Inst. n. 18. seqq.* & apertè declarat Jus Bavaricum *tit. 18. art. 1.* ubi in terminis habet alienæ custodiæ commendari posse *ligent und fahrent Gyth.* Fundamentum petitur ex Jure, quod præsertim *§. 3. cit.* generaliter & indefinitè res deponi posse ait, sine distinctione inter res immobiles. Imò ipsas etiam res immobiles alteri custodiendas commendari posse, satis

clare loquitur *l. 11. ff. de pericul. commod. rei vend. & l. 3. §. fin. ff. de acquir. vel. amitt. possess.* Quòd quòd etiam tradi posse asserat *l. 72. ff. de V. O.* & ibi Perez, cum lex dicat *fin. dum tradi.*

Parum negotii facessunt objecta, ut quæ facilis est responsio. Ad I. Sufficientem expressionem & mentionem rerum immobilium facit Jus, dum generaliter, indefinitè, ac illimitatè pronuntiat, res Depositum recipere, quando res immobiles alienæ custodiæ committi posse dicit. Ad II. Quamvis res immobiles de loco in locum poni nequeant, & Depositum derivetur à *ponendo*, tamen ex illis constat, etiam res immobiles in locum Juris propriè in custodiam alteri tradi posse, in quo consistit natura depositi: nec ex etymologia aut derivatione nominis bonum ducitur argumentum, quando aliunde constat de rei natura. Ad III. *N. Min.* Quamvis enim inutilis esset custodia, quæ apponeretur rei immobili, ne fugeretur vel auferatur, aut subtrahatur. *l. 3. pr. ff. de act. empt.* custodiri tamen etiam res immobilis potest ab incendio, devastatione, deterioratione, ingratu su hominum suspectorum &c.